J. BIÖRN.
EPIST.
AD
SPIEGEL.









EPISTOLA CON-SOLATORIA

IACOBI BIORNONIS NOBILIS DANI,

AD

DOMI Nobilem Iuuenem, GEORGIVM SPIEGELIVM, Gente Danum, de obitu Matris.

ELEGIA EIVSDEM ARGVmenti ad eundem Nobilem, M. Iacobi Hasebardi Dani, cum Epitaphio Matris illius Catharinæ Anafeldinæ, Matronæ Nobilissimæ.

BASILEAE, EX OFFICINA Oporiniana, Anno 1583.

VULNERA corporum nostrorum, Georgi Spiegeli, amice constantissime, refricata, vel aliàs recrudescentia, cùm ita maiorem dolorem adferant quàm noua: quis sanus miretur, animi uulnera, tum grauius nos affligere, tum etiam molestius à nobis ferri? Quippe cum plus æstuent morbi animi quàm corporis: quid est, cur quis hoc pro nouo habeat, eius paroxysmos recurrentes nos languidiores reddere?

Et cùm longa dies sedauit vulnera mentis,
Intempestiuè qui mouet illa nouat.

Tibi verò cùm hisce diebus fissura, quæ iam coire velle visa est, in hiantem aperturam abierit, lectis scilicet literis ex Patria acceptis, quibus certior factus es de obitu Matris tuæ: non potui non ex amicitiæ nostræ lege facere, quin de remedio, quo tibi succurrerem, cogitarem. Aegro corpori Medicus opem fert: ast amicus oratione mentis ægritudinibus succurrit. Ac quamuis agnoscam me huic prouinciæ, quam suscepi, imparem: committere tamen nolui, quin quid possem, tentarem: ne tibi (in cuius ære sum, & cum quo non solùm in hac Basiliensi, sed etiam Rostochiensi Academijs iucundissimè vixi, in Lipsensi in transitu salutaui) opera mea, qualiscunque tandem illa sit, defuisse videatur.

Cogitanti autem mihi, & vndequaque circumspicienti, quaenam huic morbo potissimum adhibenda medicina, nō potui satis Dei Ter Optimi Maximi hac etiam in parte prouidentiam mirari, quod Ecclesiæ suæ (quæ vtplurimum in hoc suo exilio cruci subiecta est, & cum ea conflictatur) multo efficaciora pharmaca, quàm cęteris hominibus, etiam ipsis huius mundi sapientibus, præscripsit præstituitque.

Etenim si quis philosophorum, ethnicorum, cæterorumque, antipharmaca cum diuinis conferat, & iuxta se inuicem examinet: tantum inter ea interesse, quantum intra gemmam & vitrum discriminis est, inueniet. Ego in præsentia, si vnum aut alterum maximè illustrium adduxero, euidentiæ caussa, suffecturum existimo.

Hoc ferè præcipuo in solandis dolentibus vtuntur argumento, vt dicant necessariò ferenda esse quæ fato accidunt, cùm ea nullatenus à nobis prohiberi aut mutari possint, nec in nostra potestate sit, auertere euentura, aut corrigere facta: siquidem lex sit vniuersi, quæ iubeat tum nasci, tum mori, &c. Sic Cratippus, Ciceronis iudicio, philosophus sui temporis summus & acutissimus, Pompeiū Magnum, præstantissimum illum belli ducem, apud se conquerentē, secúmque de Imperiorum periodis & vicibus rerum,

vt sibi

vt ſibi videbatur iniuſtis, diſputantem, conſola-
tus eſt. Hac præterea ratione ad ſubleuandam
mœrentium moleſtiam vtebantur: Cùm vita,
aiebant, nemini vacua ſit moleſtijs, nec vllus in-
ueniatur mortalium, qui non ſuos pateretur ma
nes: ſtultum eſſet, peculiari quodam priuilegio
gaudere, meliorecꝙ fortuna vti velle, cæteris.

Quo modo Demonax quendam filij mor-
tem immoderatius lugẽtem, cũ is in loco obſcu-
ro ſe abdidiſſet, acceſsit, ac conſtanter pollicitus
eſt, ſe filij vmbram ab orco reducturum, ſi tres
ex omni hominum numero mõſtraſſet, qui nun
quam alicuius obitum fleuiſſent. Quumcꝙ is co-
gitationem per omnes circumferens, ne vnum
quidem reperiſſet luctus expertem: quid igitur,
inquit, teipſum diſcrutias, ô homo, quaſi nouũ
aliquid tibi acciderit.

Eôdem etiam cum omnes tẽdamus, nihil am-
plius accepturi ſerius profecti, quàm qui ocyus
acceſſerunt, cur demortui Sophorum ſententia
lachrymandi[illegible] Sic ſuum amicum, referente Plu-
tarcho & Stobęo, quidã alloquitur & erigit: Lu
gẽdi ſunt, inquit, moderatè cõiuncti olim neceſ-
ſarij. Nõ enim mortui ſunt, ſed eandẽ viam, quã
ingredi omnibus impoſitum eſt, præiuerunt.
Nos etiam in poſterum in idem diuerſoriũ, com
munem cum reliquis acturi vitam, veniemus.

Agnouerũt insuper, aduersos casus modestiã docere, prout Darius Persarum Rex, Xerxis pater, de se prædicare solitus est: se bellis & casibus aduersis, quibus expeditiones scatent, factum prudentiorem.

Præterea & hoc addere solebant, quod vsu, vt videtur, didicerant: Hominem, qui in aduersum casum incidisset, si eum forti ac magno ferret animo, plerunque fortunam suam in melius vertere. Quod philosophi, Arsinoes Reginę dolorem lenire volentis, oratio confirmat. Quum Iupiter, inquit, inter Dæmones rerum faceret partitionem, Luctus nõ aderat, sed distributione iam peracta venit. Huic igitur cum Iupiter aliquid honoris tribuere vellet, nec esset quod daret, quippe iam consumtis omnibus, tandem asignauit illi exequias, quib. venerationis ergo demortuos prosequi solemus, veluti lachrymas, mœrores & id genus alia. Quemadmodum aũt cęteri Dæmones benè vellent ijs, à quibus colerentur, itidem & Luctum. Quòd si eum cõtemseris, ô Regina, haudquaquam ad te veniet: contrà si superstitiosè illi impenderis obseruãtiam à Ioue collatam, lamentationes nempe & eiulatus, diliget te, sempérque tibi suppeditabit aliquid earum rerum, quibus perpetuò abs te possit ornari. Deniq; (vt cætera eorum argumenta

omittam,

omittam, cum ea omnia recensere non sit propositum, nec ea tanti, vt iam adducta, sint momēti) docuerunt in malis benè sperandum esse: cùm ipsa fortuna deploratis rebus optima quęq; suggerere soleat.

Hæc quidem aliquo sunt habenda loco & numero, sed ferè ficulneum & coriaceum auxilium dici merentur, si cum ijs conferantur, quæ benignissimus Pater cœlestis, in quo omnia sunt, spirant & mouentur, electis suis ex suo pharmacopolio depromenda ordinauit. Nam de caussis malorum: cur patienter ferenda: quare modestè tolerantes citius vel finem assequerentur, vel leuamen sentirent: qua ratione aduersa modestiam docerent: quam ob causam in adflictionibus meliora speranda, eis non ita vt nobis constitit: & assensus de liberatione ex aduersis in eis languidus fuit: nec vtrum post hanc vitam alia restaret, satis nouerunt. Nobis autem cum hæc dulcissima & augustissima præsidia, quibus infortunijs occurramus, patefecerit & concesserit Deus, non est cur gētium more, nos nimium debilitari, atque adeò prosterni sinamus: sed potius rerum omnium conditori & conseruatori, pro hisce etiam beneficijs gratias agamus, & ad ea in calamitatibus, tanquam ad portum sacrámque anchoram, confugiamus. Siquidem mortem

tem & cætera mala peccati præmium esse, compertum habemus: nec, cum omnes peccatores simus, propterea desperandũ esse, cum Christus satisfecerit pro nobis, & apud Patrẽ cœlestem intercesserit, & adhuc quotidie suum pro nobis alleget meritum.

Mala præterea vel hanc ob causam eleganter ferenda, ne gigantum more Deo repugnemus, & hac ratione maiora incommoda nobis arcessamus. Hinc etiam fit, quod Numen manum suam cõstanter ferẽtes liberat citius & eripit, cũ eius voluntati morigerentur & obsecundent.

Cœli terræ'que Dominus insuper nos rebus tristibus & miseris cohercet, ne affectus nostros, qui semper velut in præcipitio positi, ad prauum inclinant, secuti, ab eo declinemus, & præcepta eius transgrediamur. Deinde non est cur in ærumnis animum despondeamus, cum summus ille Monarcha nos nõ solum ingentẽ spem cõcipere iubeat: sed etiam se nobis adfuturum, in fortuna vehementer reflante & aduersante, auxiliaturum, dolores leniturum, nec plus impositurum quàm ferre possimus, & tandem liberaturum, polliceatur: quod etiam multis & illustribus exemplis confirmauit.

De hisce cùm gentibus nihil manifestatũ fuerit, nihil mirum illas de subsidio dubitasse. De-

nique,

nique, cum fidiſsimus pater nobis gregi ſuo re-
uelauerit, poſt hanc vitam aliam ſecuturam, in
qua pijs bene erit, & præmia, vt gratuita ſit, opta
tiſsima reportabunt: mali autem quales fuerũt,
talem etiam conſequentur mercedem: idcirco
pijs nos adiungamus, & ad Deum vnum, tan-
quam ſummum bonum & verè ſacrorum mani
pulum, reſpiciamus & aſpiremus.

Sed de his multis rhetoricari ſuperſedebo, cũ
vbiqꝫ Chriſtianis obuia, tibíqꝫ ex literarum ſtu-
dijs notiſsima ſint. Igitur vt ex infinitis optima
decerpam, tibíqꝫ applicem, prima quidem fron-
te non miror, te moleſtius ferre obitum Matris
tuæ chariſsimæ, cum in generoſis naturis pecto
ribuſqꝫ ferè ardentiores ſint στοργαὶ erga Heroi-
cos parentes, qui longam præſtantiſsimorũ Ma
iorum ſeriem, uirtutum ſucceſsione, auiti et mul
tiplicis ornamenti propagandi tuendíqꝫ cauſſa,
ceu Lampadem uirtutis & gloriæ, liberis in ma-
nus tradiderunt, toti proſperitati decenter & or
dinè præferendam: quumqꝫ nulla mortaliũ opi-
nione ſanctior ſit in terris neceſsitudo, quàm ea,
quæ vnicuiqꝫ ſit noſtrûm cum parentibus, quæ
quo maior eſt, hoc maiores in animis noſtris pa-
rit affectus: nec vllo arctiore vinculo homo ho-
mini iũgitur, vllóue minus ſolubili nexu, quàm
eo quo liberi parentibus: quis igitur non laudi

potius quàm vitio tibi Christiana charitate imbuto vertat, quòd Parentis deploras obitum?

Ast dum intueor, quis sit nunc mundi huius status, non video quare illos in vitam hanc reuocare velimus, qui in Christo piè decesserunt, & æterno cum eo perfruuntur gaudio lætitiaq́;.

Bella gerit Dæmon, & iniquæ dedita rixæ,
Militat in medijs turba nephanda vijs.

Quaprópter tu illi potius hunc felicitatē gratulare, quòd vita piè (quantum ex alijs audio) & vt heroicam fœminam decebat, exacta, bona fama post se relicta, antequam grauiores huius mundi malignitates & aspiceret & experiretur, hinc abierit. Nec tui muneris hoc esse præcipuū puta, defunctam questu prosequi ignauo, sed quæ voluerit, meminisse. Quis verò non existimet, illam summis votis exoptasse, vt sine lachrymis tempus illud, quod ea ablata Diei Author tibi tributurus est, in religioso gaudio consumas. Acquiesce igitur in consilio & voluntate Dei, cum ad bonum finem tendat, & quòd constanter ferendo plus impetrare possis quàm amissum sit, semperq́; sic age, vt finem hunc habeas propositum, nempe eò veniendi, vbi eam esse confidis. Quod nobis largiatur is, qui solus dare in potestate habet. Tu vale, hancq́; meam opellam boni consulito. Basileæ, 1583. Kal. Martij.

ELEGIA CONSOLATORIA AD D. GEORGIVM SPIEGELIVM, NOBILEM DANVM, amicit. & beneuol. ergò scripta

A

M. IACOBO HASEBARDO DANO.

NOx erat & tacitis latitabant nubibus astra,
Condideratq; suas pallida Luna rotas,
Iam sua concessit fessis nox ocia neruis,
Languida iam fouit membra sopore quies:
Me quoq; tum sensim fusco velauit amictu,
Et pressit dulcis lumina nostra sopor:
Hinc mox insolita sub imagine somnia finxit
Somnus, qui varijs ludit imaginibus.
Namq; ad Musæum pullâ Dea cyclade gressus
Dirigit, & vultus turbida, sparsa comas:
Adducit Iuuenem patria virtute vigentem,
Fingentemq; imo lumina mæsta solo.
Obstupui, & mea mens iam sacro tacta calore,
Augurio sensit numen inesse nouo.
Dum verò occultas cupio perquirere causas,
Dum reprimit vocem mixtus amore metus,
Ingemit ac mæstis exsoluens pectora dictis,
Affata his Iuuenem vocibus illa refert:

Dum properata gemis dilectæ funera matris,
SPIGELI, nostri ſpesq́ decusq́ chori:
Scilicet & iuſta eſt huius tibi cauſa doloris,
Et non immeritò te tua damna mouent.
Fudit enim dîas humana in pectora dotes
Humani generis conditor ipſe DEVS:
Omnis vt in natis ſtaret pia cura Parentum,
Hinc vt luceret numinis inde decus.
Multum etenim prodeſt natis, Virtutis vt ipſo
Cum bona materno ſemina lacte bibant.
Inſita ſed Virtus ſtudio firmanda fideli eſt,
Natura vt mores induat ipſa bonos.
Hinc amor in ſobolem, & pietas dulciſsima prolis,
Ex vno veluti fomite flamma venit.
Aſt vt conceſſum eſt caſus lugere ſuorum,
Et pius eſt, matris funera flere, dolor.
Ne tamen excedat pietas monet optima fines:
Meta igitur lachrymis eſt ſtatuenda tuis.
Nullus enim dolor eſt, hunc quem non leniat ætas,
Et mens quem nequijt, tempora longa leuant.
Ergo conceptas, SPIGELI, mitte querelas,
Flos iuuenum & patriæ nobilitatis honos.
Aetatis florem, poſito mærore tenaci,
Prouidus ingenij dexteritate foue.
Et fructum flos iſte dabit: tibi ſerta vireſcunt,
Quæ proprijs manibus diſpoſuêre Deæ.

Dedita

Dedita namq; his mens crescit crescentibus annis,
Virtus, integritas, candor & alma fides.
Excitat ingenuos Virtus animosa fauores,
Integritatis ceu semina prima serens.
Arripit hæc candor qui fixus mentibus hæret,
Hæcq; fides stabilis viuidiora facit.
O syncera fides! ô sacra fides! Mortalis
Per te mortali dicitur esse DEVS:
Sub te cuncta vigent: floret pax aurea, per te
Cernuntur fructus dulcis amicitiæ.
Ergo dum famam generosæ extendere mentis
Et cupis, & magnæ nomina laudis amas.
Huius vt es, sic semper eris Virtutis alumnus,
Qui genus ex longa nobilitate trahis.
Præcipuè verò te viuida fama parentis
Excitet, & stirpis gloria summa tuæ.
Ille tuus genitor generoso est sanguine natus,
Aurea qui speculi in stemmate signa gerit.
Talia signa decent: nam mens candore redundat,
Et veluti è speculo splendida fama micat.
Hinc REX, hinc PROCERES quibus est sat cognita Vir(tus,
Hinc illum fœlix DANIA tota colit.
Macte igitur Virtute tua: tua vota secundent
Numina, tu decori grandius adde decus.
Deniq; quicquid ages, diuæ Virtutis alumnos
Dilige: sic recto tramite cuncta cadent.

Sic ait, & liquidas ſeſe ſubducit in auras,
Diſcuſſusq; meo corpore ſomnus abit.

EPITAPHIVM

NOBILISSIMAE ET CASTISSIMÆ MATRONÆ, CATHARINAE AB ANEFELD, NOBILISSIMI Dn. Iohannis Spiegelij, Dn. de Borbij, coniugis dulciſſimæ.

ASPICIS vt celeri vertantur ſingula curſu,
Verſet vt inſtabiles ſors male fida vices.
Aſpicis humani breuis vt ſit terminus æui,
Quàm veniat rabido mors inopina gradu.
Quemuis fata vocant: humili ſeu ſorte parentum,
Siue etiam à magnis ſtemmata ducat auis.
Nam nihil inuito medicamina numine poſſunt,
Amittit vires vna vel herba ſuas.
Gloria ſi gentis, clariq; à ſtirpe parentes,
Vel magnum antiqua nobilitate genus,
Laurea Virtutum, flos ſi pietatis, & almæ
Iuuiſſet quicquam forma pudicitiæ:
Non mea rupiſſet fatalis ſtamina Clotho
Inuida proh vitæ quæ Dea finit iter.

Ergo

Ergo vale Consors thalami: *dum fata sinebant,*
Tu mihi tu vitæ dulce leuamen eras:
Et tibi fida comes saluæ nam conscia mentis
Optaui caro casta placere viro.
Et nati natæque *meo de sanguine, fletu*
Parcite vos manes sollicitare meos.
Nam mihi parta salus tandem est & meta laborum,
In CHRISTO *mea nunc Anchora fixa manet.*
Nos fragiles morbo consumtos liquimus artus,
Candida sidereas incolit vmbra domos.

Beneuol. & obseruant.
ergò
M. Iacobus Hasebardus
Danus F.